

MUSEUM REGIUM
SEU
CATALOGUS
Rerum tam naturalium, quàm
artificialium,
QUÆ
IN BASILICA BIBLIOTHECÆ
AUGUSTISSIMI DANIÆ NORVEGIÆq;
MONARCHÆ
CHRISTIANI
QVINTI

Hafniæ asservantur,

Descriptus

Ab

OLIGERO JACOBÆO.

Med. & Phil. Prof. Regio.



CUM PRIVILEGIO.

HAFNIÆ,
Literis Reg. Cels. Typogr. JOACHIM SCHMETGEN,
ANNO M. DC. XCVI.



PARS PRIMA
DE
REBUS NATU-
RALIBUS.



SECTIO I.
DE

Homine & Quadrupedibus.



MUMIA ÆGYPTIACA (Tab. I. Fig. I.)

pedum quinque longitudine, carbaso subtili & tela varia undique involuta. In fasciis circumjectis figuræ quædam peculiare conspiciuntur & characteres Hieroglyphici. Limbi circulares, pectus imprimis vestientes, ex colorum diversorum orbiculis & figuris aliis affuti sunt, auroque hinc inde illiti.

CAPSA seu repositorium, (Tab. I. Fig. II.) cui inclusa est Mumia gossypio hinc inde tecta, ex

ligno concavo oblongo, crasso admodum & coloris subflavi, ac in partes binas diviso, ad similitudinem Mumie accedit, & parte superiore capitis humani figuram exprimit; inferiore vero, & quidem anticâ, notas & characteres peculiare, vetustate fere exesos. Mumie tales ab Ægyptiis olim imprimis confectæ, & funera medicata Plinio appellatæ, voce Perlicâ, pro cadaveribus exsiccatis sumuntur & certâ ratione conditis, quæ sub structuris Pyramidum vel in cryptis aliis subterraneis apud Ægyptios olim condebantur. De mumiis, præter alios, eruditè Athanasius Kircherus & in Itinerario suo Thevenotius.

MUMIA ÆGYPTIACA minor, pedum trium longitudine, pannis variis involuta & fasciis circumligata.

MUMIA DANICA. Licet enim inter deperdita Mumie veræ à Pancirollo habeantur, à recentioribus tamen, successu haud dispari, ars condiendi cadavera exculta est, quâ inclaruere imprimis hoc seculo Belsius, Boylens, Blankardus, alii.

FOETUS Lapidifactus. (Tab. XI. Fig. II.) Mirandum hunc foetum spatio viginti octo annorum mulier Agendici Senonum in Gallia gestavit, quæ Columba Charria dicta, sartoris uxor. Dissecto utero, portentosa demum mole gypseâ eductus est foetus Anno 1582, membris bene conformatis, nisi quod ultra modum induruerant. Spectatum diu Agendici, transit demum corpusculum ad mercatorem Parisiensem primarium, hinc ab aurifabro & gemmario Giliberto Vautron Venetias delatum, ac tandem ex Italia anno 1653. ad Augustissimum Daniæ Regem FRIDERICUM III, qui inter rariora Musci hujus

hujus reposuit, iudicio sagaciorum subjiendum. De foetu hoc fuisse admodum *Bartholinus* *Hist. Anat. Cent. II.* & in opere *Gall. Parvus*, l. 25. de monstris.

EMBRYO, pollicis unius longitudine, vitro oblongo & pellucido inclusus.

EMBRYO, septem pollicum longitudine, exsiccatus.

VASA HEPATIS lege artis Anatomicæ præparata eleganter & exsiccata.

SCELETON HUMANUM.

MANUS VILLOSA HOMINIS SILVESTRIŒ INDICI, *Ourang Outang*, dicti. Talis ex Angola *Friderico Henrico* Arausionensium Principi oblatus est, & à *Tulpio*, lib. 3, observ. 56, descriptus.

CAPILLI cum CUTE iratâ manu avulsi. Ortâ *Helsingoræ* inter duos contentione & à verbis ad verbera re delatâ, in caput & capillos alterius alter involavit, manuq; tam firmiter apprehendit capillitium, ut subjecta cutis cum pilis ex cranio divelleretur. Pars illa cutis pilosæ avulsâ à coriario demum præparata est & in rei fidem huc asservata.

PLICA POLONICA, 6 pedum & 3 pollicum longitudine. Vitium hoc capillorum, dum in cirrhosita contorquentur, ut extricari nequeant, Polonis familiare fertur, in quo extirpando brançæ *Ursinæ* decoctum *Hercules Saxonia*, *Sennertus* & Medici alii extollunt, muscum verò terrestrem clavatum *Ephemeres Germanorum*.

UNGVES MONSTROSI DIGITORUM, quos gestavit diu juvenis quidam *Hafniensis* stipem ostiatim colligens. Maximus illorum unciarum quatuor cum dimidia longitudinem æquat. Digni omnes, duobus exceptis, unguis his monstrosis armati erant, quæ recisæ manu Chirurgicâ iterum crescebant.

CALCEI & SANDALIA ex cute humana. Parata quoq; ex corio humano *Cingula* huc conspiciuntur, quæ foeminis suffocatione uterinâ laborantibus vulgò circumligari solent.

OVUM quod peperit mulier. Exemplum partûs hujus mirandi *Norvegia* suppeditavit Anno 1638. *Anna* quædam *Amundæ* filia, Uxor *Guilbrandi Erlandsoni*, quæ sæpius antè genuinos foetus feliciter enixa fuerat, gravida iterum, majoribus verò in puerperio quam antea doloribus, bina ova peperit galinaceis simillima. Fractum ex illis unum, alterum ad celebrem *Ol. Wormium* transmissum, demum Muséo huic Regis nostri Augustissimi illatum. De testibus rei & circumstantiis aliis prolixè in *Hist. Anat. Cent. I. Th. Bartholinus*. Et licet magicum hoc ovum ac miraculi resplena à *Wormio* aliisque deprædicetur, miraculi tamen vim quodammodo imminuere videntur detecta hòc seculò in ovariis mulierum ova seu vesiculæ humore limpidò refertæ, quæ à membranis ovarii post imprægnationem liberatæ per *Tubas Fallopianas* in uterum delabuntur. Et cum ludat variè in ovorum cortice Natura, adeo ut ova illa, quæ, consuetâ naturæ lege, cortice investiuntur, è gallinis avibusq; aliis sine omni cortice & velut solæ vesiculæ interdum exeant, ita quoq; modo contrariò, ovum hoc muliebre, quod ex ovario protrusum, limpidæ vesiculæ formâ, uteroq; exceptum, ad auctis sensim membranis & humoribus contentis ad productionem foetus ac incrementum dilatari debuisset, cortice duro obductum est, adeoq; formâ insolitâ exclusum. Forsan quoq; ad hydatidem

eadem crustâ investitam referri posset. Exempla demum non dissimilia sagaciores alii passim commemorant. Ita oviforme quid ex utero muliebri excretum fuisse *Antonius de Heyde* Centur. Observ. Med. 44 refert. In agro Vicentino, Anno 1621, foeminam obortis doloribus parturiendi consuetis, ovum perfectum peperisse *Job. Rhodius*, Cent. 3. Obs. Med. 27. annotavit. Ipse demum rerum naturalium scrutator sagacissimus, *Th. Bartholinus*, de muliere Hafnienfi refert (libro de insolitis partus hum. viis c. 16.) quod post imprægnationem 12 hebdomadarum dolores parturientium senserit, & anxie se demum in lecto versans, ovum pepererit.

CALCULUS vesicæ humanæ, qui uncias duodecim cum dimidia pendet. Hic ex Sacerdote Anglicano quondam exfectus fuit. Alius, ex cive Holsato demtus, pondere est unciarum duodecim. Ex foemina denique exfectus uncias quatuor cum dimidia pendet. Asservatur præterea hic calculus ex vesicâ Illustris *Hugonis Lutzow* extractus, qui coloris subflavi est ac uncias duas cum dimidiâ pondere suo superat.

EQVI BRASILIENSIS CAPUT, elegantis naturæ artificiò discolor, (*Tab. II. Fig. I.*) pedis unius & dimidii longitudine: Pili animalis hujus serie alterna modo albi, modo flavescentes sunt. A lateribus capitis utrinque latiores sunt series pilorum flavescentium, à parte capitis anteriore, & nasi inprimis, tenuiores sunt, arctiusque invicem coeunt. In Indiâ tam eqvos quam asinos versicolores gigni itineraria testantur.

AURIS ELEPHANTI pedum trium & dimidii longitudine, duorum vero & dimidii latitudine. Elephantem ipsum è fluvio bibentem in Promontorio Bonæ Spei trucidavit Centurio *Magnus Jacobi*, anno 1675 d. 12 Decembr. globo plumbeo pone aurem è bombardâ immisso, cum ex tractu Indiæ Orientalis, Coromandel dicto, ubi urbs Danorum Tranquebar cum castello Danisburgo sita est, huc tenderet. Pendebat auris memorata, adhuc recens libras 44. Tempore eodem percussit Cervum, qui exutus corio & exenteratus, pondere 256 librarum extitit.

DENTES seu CORNUA duo ELEPHANTI, quorum singuli pendent 150 libras. Cornua appellari malunt antiquorum plurimi, & inter recentiores quoque *Ludolfus* Hist. Æthiopic. lib. I. c. 10. Cornua esse, inquit, & non dentes, quod ebur vocamus, apud Æthiopes non ambigitur. Ideo hæc Elephantorum arma lingvâ Æthiopum *Akronot* sive cornua, vel *Karna nage* seu cornu Elephanti ex Lexico suo Æthiopico demonstrat. Sententiam eandem anatomie Elephanti à sagacioribus instituta uberius confirmat. Solertissimus *Polybins* lib. 8. c. 10. in Africa extremâ tanta Elephantorum cornua memorat, ut trabium ac tignorum loco ad postes, sepes & stabula exstruenda adhibeantur.

DENTES duo ELEPHANTI ex Angola allati, prædictis candidiores multo ac magis splendentes. Pendent singuli libras 88.

Quinq; DENTES MOLARES ELEPHANTI. Pendent singuli libras 6 cum dimidia.

CAUDÆ duæ ELEPHANTORUM, singulæ longitudine pedum duorum cum dimidio. Pilos habent densos admodum, &, juncorum minorum crassitie, splendidos ac atros. Ornare iis cervicem incolæ regni Angolæ ac locorum circumjacentium memorantur, inprimis viri ac foeminæ nobiliores, tam bestię, ex qua avulsi sunt, robur, quam validitatem pilorum ac pulcritudinem æstimantes.

UNGU-

UNGULÆ seu PEDES duo ELEPHANTI, quorum singuli longitudinem pollicum octodecim, latitudinem verò 9 pollicum habent.

EXUVIÆ EQVI FARCTÆ.

SCELETON EQVI.

CORNUA EQVINA (*Tab. II. Fig. II. & III.*) Equum hunc cornigerum habuit Rex Daniæ potentiss. gloriosæ Memoriam FRIDERICUS III. cui ex utraq; auriculâ, parte exteriori, enatum fuit cornu incurvum, acutum, pennæ coloris crassitie, longitudine pollicum duorum cum dimidio. Cornua hæc pendula & mobilia fuere & temporibus stas decidua, succrescentibus demum aliis, & longitudinem priorum attingentibus. De his eruditè in Muséo *Ol. Wormius & Th. Barthol.* Hist. Anat. Cent. 2. Memorant quoq; , inter Antiquos, *Plinius & Ælianus* eqvos Æthiopiæ cornubus armatos esse, ac Indicos eqvos unicornes vel tricornes.

CORNUA duo STREPSICEROTIS. Singula longitudinem habent pedum duorum cum dimidio, coloris nigerrimi, quæ ambitu rugarum & velut annulorum à basi ad partem mediam cinguntur, hinc verò lævia ac polita in apicem usq; sensim gracilescunt, in fastigium leve acuminata. Animal, quod cornua hæc gerit, inter capras silvestres *Plinius* recenset lib. 8. c. 51.

CORNU RHINOCEROTIS DUPLEX (*Tab. III. Fig. IV.*) cujus ramus alter acutior pedum duorum, obtusior alter pedis unius longitudinem habet. Animal, quod cornu hoc gestavit, in vivario magni Indiæ Mogolis trucidatum est.

CORNUA varia RHINOCEROTUM longitudinis diversæ. Ex cornubus his spiritus arte Chemicâ potentissimus elicitur, de quo uberius *Acta Med. & Phil. Hafniensia* anno 1674. pag. 166.

CORIUM RHINOCEROTIS. Coloris est cineritii, crassum admodum & rugis variis sulcatum, quod ictui acinacis validissimo facile resistere Scriptores memorant. Animal ipsum, quod Bengala, Cambaja, Malacca, Sumatra, Siam & regiones aliæ copiosè gignunt, ab *Aldrovando, Forstono, Wormio*, aliisq; fute descriptum est.

DENTES variü HIPPOPOTAMI longitudinis diversæ. Maximus illorum pollicum novem longitudinem vix æquat. Animal ipsum, quod dentibus memoratis instruitur, Nili Ægyptiaci incola est & vastæ admodum mollis, quemadmodum farctæ illius exuviæ inter rariora Leydensia prope hortum Academicum luculenter evincunt. Phlebotomiæ usum ab animali hoc hausisse olim Medici memorantur, quòd obesum jam satietate nimia ac sanguine copioso distentum, litus quærat ac cuspidi arundinum inprimat corpus, venamq; in crure vulneret, ut sanguine effusò corpus exoneret.

CORNUA CAPRÆ BEDZOAR, quæ longitudine suâ pedem dimidium vix excedunt, coloris ex fusco nigricantis, nodis quibusdam interstincta & versus extremitatem acuta. Animal ipsum his cornibus instructum Capræ silvestris species esse memoratur & *Paran* a Persis appellari.

EXUVIÆ CERVI VERSICOLORIS farctæ.

CORNU CERVINUM triplici ramorum trunco instructum.

COR-

FIG. I.

FIG. II.

FIG. IV.




FIG. V.

FIG. VI.

FIG. VII.

FIG. VII.

FIG. III.